

**1982-05-03 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quemadmodum Vetus’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***QUEMADMODUM VETUS***

B. VIRGO MARIA, LAURETANA APPELLATA, PATRONA APUD DEUM  
OMNIUM AÉRONAUTARUM IN REGIONE S. PAULI IN BRASILIA CONFIRMATUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Quemadmodum vetus et laudabilis fert consuetudo, christini peculiare munus obeuentes haud raro in fidem se tradunt Caelitum Sanctorum ut eorum exemplo ad bonum rectumque incitentur, rebus in adversis obtegantur munimine, ingruentibus periculis arceantur. Cuiusmodi praesidio indigere se sentiunt aëronautae civiles regionis S. Pauli in Brasilia, ubi opus ad aëtheria pertinens itinera fervet. Hi vero pio studio Beatam Mariam Virginem prosequuntur, quae in percelebri sanctuario Lauretano impensis fidelium obsequies colitur. Quorum votis obsecundans, Venerabilis Frater Noster Evaristus S. R. E. Cardinalis Arns, Archiepiscopus S. Pauli in Brasilia, electionem Deiparae Virginis, nomine illo insignis, ut caelestis Patronae illius veluti familiae seu ordinis in re aerevehicularia versantis auctoritate sua approbavit et a Nobis petiit ut id ipsum ratum haberemus. Nos ergo e Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino consulto, harum Litterarum vi et potestate Nostra Apostolica Beatam Mariam Virginem, Lauretanam appellatam, Patronam apud Deum omnium aeronautarum seu civili classi aeriae addictorum in regione S. Pauli in Brasilia confirmamus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis liturgicis congruentibus, servatis autem regulis, quae secundum Instructionem «de Kalendariis particularibus atque officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, custodiantur oportet. Contrariis quibusvis non obstantibus. Volumus demum ut hae Litterae Nostrae plenam vim suam nunc et in posterum consequantur.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die III mensis Maii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*